



R. P. D.

DE CURSIS

Tiphernen. Reintegrationis

QUOAD

*Augumentum Alexandri,
et Camilli Vitelli.*

Lunæ 14. Junii 1830

- 1 **J**oannes Baptista Rondinelli, actionem adversus Comitem Joannem Barbolanium de Montauto proponenti reintegrandæ primogenituræ Elementis Senioris de Vitellis de bonis perperam distractis, congruum visum est eadem redeintegrationes urgere quoad augumentum Alexandri, & Camilli de Vitellis, qui primogenituram a Clemen-

mente Seniore conditam bonis suis auxerunt, & locupletarunt. At quemadmodum inimicam sortem coram S. Ordine Nostro, cui harum quæstionum definiendarum provincia a S. M. Pontifice Leone XII. demandata fuit, expertus est Actor quoad redintegrationes primogenituræ Clementis Senioris, veluti ostendit cœva Decisio hac de re a me edita; ita quoque res ei male cessit quoad alias, quæ ad augmentum spectant Alexandri, & Camilli. Quærenti enim mihi, & roganti in hæc verba Dominos Meos = *An, quomodo, & pro quibus bonis sit locus reintegrationi primogenituræ Alexandri & Camilli Vitelli, in casu &c.* Responsum redditum est = *Negative in omnibus* =.

- 2 Redeunt hic tria illa argumenta, quæ totam confecerunt quæstionem quoad redintegrationes primogenituræ Clementis Senioris. Redit nimirum, redintegrationes quoad augmentum Alexandri, & Camilli, qui anno 1697. bonis suis primogenituram ampliarunt, post lapsum centum, & ultra annorum postulari, quo sano tempore præsumi debet, legitimo quocumque, ac meliori titulo patratas fuisse bonorum alienationes, quin amplius cogendi sint alienantium hæredes ad primogenituram, ac fideicommissum redintegrandum. Redit rursus neque reali, neque personali actione vexari posse Barbolanium, quippe qui neque retinet bona distracta, nisi ex titulo transactionis, quam validam Sacer Ordo iudicavit, neque auctor alienationum est, aut saltem auctorum hæres. Redit denique, & alienantem, & alienantium hæredem unum fuisse Clementem ultimam, cuius hæres mediatum ipse est actor Joannes Baptista, qui sane, cuius neque inventarium proferat, nec rationum redditionem exhibeat, impugnare nequit factum auctoris sui, & bona distracta vindicare, ne secus, resistente juris regula, actio, & passio detur in eodem subjecto. Videtis cœvant Decisionem *super reintegratione primogenituræ per tot.*
- 3 Quocirca, si eadem concurrant rationum momenta, idem quoque ferri iudicium debet *Leg. 12. ff. de legitim. Rot. decis. 69. numer. 96. coram Herzan., & decis. 482. numer. 5. coram Riminaldo.* In cumulam autem accedit, pleraque bona distracta, quæ ad augmentum primogenituræ pertinuisse fertur, in nominibus censuum consistere; quæ ex legitimis monumentis constat jam a patrimonio exiisse Alexandri, & Camilli, quo tempore inde augenda, ditandaque primogenitura cogitarunt. Nullo hinc modo aggregari ea nomina poterunt primogenituræ Clementis Senioris. Quod si igitur nomina censuum haud continebantur in augmento primogeniali, jus defuit actori illorum redintegrationem postulandi, utcum-

nicumque pateret, alienata revera fuisse, malaque fide alienata. Uti enim immissio peti non potest nisi ad bona vere fideicommissaria, ita etiam redintegrationem postulare non licet, nisi de bonis alienatis, quæ sunt fideicommissaria. Corruit ergo intentio ipsa, & propositum Actoris, semelac constat bona, quæ vindicare conatur Rondioellius, non pertinuisse ad augmentum Alexandri, & Camilli de Vitelliis. Fortius ideo rejicienda actio redintegrationum.

Et ita Omnes Domini una mecum suffragantes judicarunt, utraque &c.

ROMÆ MDCCLXXXI.

Ex Typographia Rev. Cam. Apost.

C. F.

Superiorum permissu.

Cop. 75.